



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

Ad Leontem Tomacellum sodalem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

Ut nunc mutata parte Caminus eat.  
 Quoq; deæ latuere, locum dixere Cauellas,  
 Templaq; sublimi constituere iugo.  
 Quare agite & sacros Musis referamus honores,  
 Reddamusq; pijs debitatura foci.  
 Et tu Pieridum cultor, quem lenia Phœbus  
 Iussit Dirceæ plectra mouere lyræ,  
 Cinge comam Lauro, ciuharamq; intende Camœni  
 Galle, Aganippe gloria magna chori.  
 Elisoq; sui resonent montesq; loci,  
 Oppida quem dominum Gallutiana colunt.

## AD LEONTEM Tomacellum sodalem.

e Cquid in absentem quereris male fortis amicæ?  
 Nec linquit curas Anthionea tuas?  
 Et deserta graui resonant num littora planctu?  
 Ipsaq; de Lacrimis humet arena tuis?  
 Ac miser in cassum uotis tibi Nerea placet.  
 Scilicet ut reduci uenerit illa rate.  
 An mare, longinquoq; absens Trinacia tractu  
 Extinxere tuas igne tepente faces?  
 Sed neq; tam facili percussit uulnere quenquam  
 Ille sagittifera qui ualeat arte puer,  
 Ut non post multos sanandum liquerit annos,  
 Lætalem didicit namq; ferire locum.  
 Nimurum & sevas pascit Trinacia flamas,  
 Nedum sit facibus terra aliena tuis.  
 Adde quod & Veneri tellus accepta, suisq;  
 Testatus quondam sedibus altus Eryx.

## AMORVM

An formosa nouæ successit Delia curæ?  
Atq; nouo cessit uictus amore uetus?  
Spirauitq; tuis uotis felicior aura.  
Illuxitq; tibi gratior hora Leon?  
Viciniq; fauet fontis custodia Tisbe?  
Et soror, & atra mater amica tibi est.  
Quæq; tuo inuidit nuper fortuna sodali  
Hæc tibi felices porrigit æqua manus.  
Nanq; ego cum facilis dominæ tentarer amore,  
Impleretq; meam lenior aura ratem,  
Inuida præripuit lætæ mors gaudia menti,  
Fregit & in medio quassa carina salo.  
Hinc ego blanditias, ipsumq; Helicona reliqui.  
Meq; ipsum damno, delitiasq; meas.  
Nec me ni tristes curæ subeuntq; premuntq;  
Omnis & à moesto uate recessit amor.  
Deq; meis quondam mugis lusuq; iocisq;  
Nil mihi nunc reliquum est, nil nisi triste queri.  
Nec me delectant dulces uelut ante Camœnæ,  
Illa quidem secum meq; measq; tulit.  
At tu cui præbet faciles Amathystia natos,  
Dulcia naturæ munera carpe Leon.  
Venturamq; memor fato properante senectam  
Non ingrata tuo dona refer Genio.  
Sitq; omnis sine nube dies. tum deniq; dices  
Vixi. nunc o' mors nil nocitura ueni.

## FRIGORE INVITATVR

ad uoluptatem.

